



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 58. Michael Parapinacus depositus. Nicephorus Botaniates Imperator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

§. LVIII.

Sæculum XI.

A.C. 1078.

Michael Parapinacus depositus. Nicephorus Botaniates Imperator.

Imperator Constantinopolitanus, in Concilio Romano fulmine Vaticano ictus, Nicephorus Botaniates fuit, qui in Italia injustus usurpator habebatur. Michaelis Imperatoris juvenis, qui annis sex & totidem mensibus imperavit, ignavia Turcæ Seliudidæ in Natoliam non jam ut prædabundi, sed ut victores & Domini irruerunt. Quippe dum ineptus imperio Princeps puerilia tractabat, illi, qui sub ejus nomine res gerebant, fœdera cum Turcis a Romano Diogene inita ruperunt. Hi & ista perfidia, & illa, qua Græci Romanum oculis & vita privaverant, accensi, terras eorum intrant, fuscisque, qui sibi objiciebantur exercitibus, magnas Græcorum provincias in suam potestatem redegerunt. Interea Imperator domi elegantissimos versus concinnabat & Encomia, Psello magistro, illa ætate Principe Philosophorum, nam tunc quilibet vir Literatus Philosophus dicebatur. Hinc mirum non est quod sub inertis Principe duo Nicephori, Briennius in Occidente, & Botaniates in Oriente Imperium commota seditione usurpaverint. Ambo in suis partibus Imperato-

Sup. 1. LXI.

S. 4.

Curopal.

p. 845.

p. 857.

C c 2

res

Sæculum XI. res proclamati; sed soli Botaniati fortuna favit.

p. 861.

Tunc Botaniates munere Curopalatis fungebatur, cum Imperator prima Octobris anno millesimo septuagesimo septimo, Indictione prima salutatus est. Ergo Turcarum quoque præsidio adjutus Constantinopolim movit, ubi in Festo Annunciationis vigesima quinta Martii anno millesimo septuagesimo octavo ab Æmiliano Patriarcha Antiocheno & Metropolitano Iconiensi, Clericis & Senatu consentientibus, proclamatus est. Depositus vero Michael Imperator, qui cum Maria uxore & filio Constantino Porphyrogenito ad Palatium in Blachernis confugerat, strigoso equo impositus, in Studiense monasterium abductus, & purpuram cum pulla lacerna mutare iussus est. Hæc in Sabbato Lazari, ut loquuntur Græci, id est, in vigilia Dominicæ Palmarum, ultima die Martii acta sunt, & tandem Nicephorus Botaniates Constantinopolim ingressus Feria III. Hebdomadæ Majoris a Cosmo Patriarcha coronatus est.

Joannes Xiphilinus secundo die Augusti anno millesimo septuagesimo septimo, postquam Sedem Constantinopolitanam annis undecim & mensibus septem tenuisset, rebus humanis ereptus est.

Cum

Cum ejusdem nominis fuerit, non nulli huic Patriarchæ Compendium Historiæ Romanæ Dionis Cassii tribuerunt; verum ipse Xiphilinus Compendii auctor dicit, se Patriarchæ nepotem fuisse. Inter Scripta ab hoc Præsule nobis relicta præ ceteris notari merentur tres Constitutiones ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes. Primam, vigesima sexta Aprilis, anno mundi sexies millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, Jesu Christi millesimo sexagesimo sexto, nempe Xiphilini Patriarchæ primo, datam, in Concilio edidit, viginti octo tum Metropolitanis, tum Archiepiscopis præsentibus. Continet vero Decretum de Sponsalibus in hunc sensum: Quamvis matrimonium non fuerit secutum, Sponsalia tamen legitima eandem vim, ac matrimonium habeant ad producendam affinitatem, quæ matrimonium cum affinibus alterius Partis contrahendum impedit, atque Clericum Bigamum ac ex consequenti irregularem efficiat. Hanc Constitutionem Synodicam deinde anno millesimo octogesimo octavo Nicephorus Botaniates Imperator edita Bulla aurea confirmavit. Secunda Constitutio Xiphilini, qua prior roboratur, anno sequente millesimo sexagesimo septimo, in Concilio quatuordecim Metropolitanis

Sæculum XI.
A.C.1078.

Zonar. lib.
XVIII. n.

p. 71.

Just. Græco
Rom. p. 211.

p. 121.

p. 212.

Cc 3

tano-

Sæculum XI. tanorum & Archiepiscoporum condita
A.C. 1078. fuit.

Xiphilinus
Patriarcha.

Tertia est Decretum solius Patriarchæ, die Martis, decima sexta Februarii, Indictione octava, nempe anno millesimo septuagesimo datum, in quo sic loquitur: *Quia video complures viros Ecclesiasticos & Monachos aliorum causas dicere, & in Iudicio postulare tam coram Tribunali sæculari quam Ecclesiastico, & ego quidem quidem existimo, hanc agendi rationem contra Canones pugnare ac plurimum a disciplina Ecclesiæ abhorvere, præcipimus, ne deinceps Monachus aut Clericus pro alio in quocunque Iudicio causam dicat; est enim hæc actio mercenario conveniens & virum Ecclesiasticum dedecens, quam imposterum impunitam esse non sinemus. Nisi forte in negotio Ecclesiastico aliquis ex Clericis nobis iubentibus alterius Partis causam defendendam in se suscipiat. Hæc vero Constitutio nostra omnibus Iudicibus sæcularibus prælegatur, ut sciant, sibi non licere, Clericos coram se postulantes audire.*

Europat.
p. 860.

Joanni Xiphilino fati functo Imperator Michael Parapinacus in Sedem Constantinopolitanam subrogavit Cosmum, Jerosolyma advenam, quem virtutibus præditum, licet scientiis humanis nullatenus imbutum, singulari hono-

re prosequatur. Is Cathedram Constantinopolitanam annis quinque & mensibus novem occupavit. Æmilianus quoque Patriarcha Antiochenus paulo post satis cessit, cui Nicephorus, cognomento Maurus, successit. Eadem tempestate in vivis degebat Theophylactus Archiepiscopus Acridanus in Bulgaria, nempe a principio Regni Romani Diogenis usque ad Nicephori Botaniatis tempora; is natus Constantinopoli miserum exulem esse se lamentabatur, quod inter Barbaros vitam transigere cogentur. Is dispicimus ex ejus epistolis, ex quibus etiam patet, quantas ærumnas Ecclesia Bulgariæ irrupentibus Serviciæ seu Croatiæ populis sustinuerit, & quam crudeliter Episcopi tum a Magistratibus & vectigalium Redemptoribus, tum a malis Christianis habiti fuerint. Ceterum Theophylactum in Sacras Scripturas Commentarii, quos maximam partem ex Operibus S. Joannis Chrysostomi excerptis, celebrem reddiderunt. Scripsit vero in Evangelia, in Acta Apostolorum, in Epistolas S. Pauli & in quatuor Prophetas de numero eorum, qui minores dicuntur. Supersunt etiam ipsius Documenta, ad Principem juvenem instituendum apta, Constantino juniori, Imperatoris Michaelis Parapinac

Sæculum XI.
A.C.1078.

Epist. ap.
Baro. an.
1071.

ib. an. 1073.